

tiam Personam atque esse posteriorem, quia in ly secunda solum importatur ordo numerationis, in ly posterius aliquid diminutionis respectu prioris. Solum Basilius in alio illo priori loco ex libro primo contra Eunomium prioritatem, et posterioritatem nominat in origine Personarum: sed non mirum, quia etiam causam et causatum ibi esse dicit: « Non intervallo, inquit, hæc disseparantes, sed cogitatione prius quam causatum, causam intelligentes. » Sicut ergo causam, et causatum in latiori significatione sumit pro origine principii, et precedentis, ita prius et posterius sumit non in rigorosa, sed in lata acceptione pro eo quod est primum, et secundum juxta ordinem numerationis, non secundum prius, et posterius absolute, etiam in ipsa origine; quia etiam in origine ly posterius dicit aliquam diminutionem: et ita cum absolute negetur alias in symbolo Athanasii, et ab Augustino ubi supra cautius, et securius loquimur, absolute eam negando: dicere autem quod solum negant patres prius, et posterius in duratione, ut Vasquez explicat, non video quo fundamento probet. Nam ad negandum prius, et posterius in duratione sufficit negare successione durationis, et coæternas eas Personas dicere: Athanasius autem in symbolo prius dicit has Personas coæternas esse, et coæquales; postea autem addit quod in hac Trinitate nihil prius aut posterius: si autem intelligeret solum non esse prius, et posterius in duratione, esset repetere quod sunt coæternæ.

XI. Ad fundamenta autem Vasquez, et Scoti, ex dictis respondetur.

Ad primam dicimus, quod esse primum, et secundum in processione, et origine solum designat ordinem processionis realem cum nu-

meratione: ubi enim est numerus realis, ibi est primum, et secundum: nec enim est unicum tantum.

Et cum instat Vasquez quod ex natura rei una est prima, et alia secunda, non vero ex sola numeratione, quia in numerando æque bene possemus incipere numerationem a Spiritu sancto et a Filio, illamque vocare primam Personam a qua inciperemus numerare, respondeo quod ista numeratio realis fit etiam cum ordine processionis, et originis, ideoque nominatur et numeratur prima illa Persona, non solum a qua nostro arbitrio numerare incipimus, sed a qua ordo processionis incipit: sed non sequitur ex hoc quod sit prius, et posterius, quia bene stat quod sit origo, et ordo inter Personas, licet nulla sit posterior altera omnino simul, tum propter unitatem naturæ; tum propter simultatem relationum, licet ipse ordo originis, qui petit quod una procedat ab alia, et non e contra, etiam petit quod incipiamus numerare ab una a qua omnes aliæ procedunt, et ipsa a nulla priori, et propter hoc debetur ipsi quod sit prima, et alteri, quod sit secunda, non prioritatem, sed ordine originis, et processionis in qua est numerus.

XII. Ad secundum vero quod deducitur ex contradictione D. Thomæ respondetur, nullam esse contradictionem, quia quando D. Thomas negat prioritatem secundum intellectum, loquitur de intellectu ut adæquate concipiente, et definiente ipsas relationes: sic enim una est de intellectu alterius, unde non est prior secundum intellectum, sed simul cum altera. Quando autem dicit quod Persona Patris secundum conceptum hypostasis est prior generatione, et consequenter Filio, loquitur de conceptu paternitatis inadæquato, et secundum diversa munera,

seu formalitates ejusdem relationis, ut subsistentis, et ut exercite respicientis suum terminum. Et sic nulla est contradictio in dictis D. Thomæ. Quod autem dicitur distinctionem rationis non posse negari, etiam inter attributa, et consequenter neque prioritatem rationis, respondetur distinctionem rationis in præsentia non habere locum, quia loquimur de relationibus realiter distinctis inter se, et supposita hac diversitate, inquirimus an inter eas habeat locum prius, et posterius in aliquo sensu, ita quod inveniatur in re, quia non indigent distingui ratione, sed prioritas secundum intellectum aliud dicit, quam distinctionem rationis, scilicet quod secundum intellectum non sint simul, nec omnino unum, sed unum posterius respectu alterius, quod diminutionem quamdam designat, quam nec per intellectum possumus divinis Personis tribuere.

RELATIO ÆQUALITATIS, ET SIMILITUDINIS QUALIS SIT IN DIVINIS.

XIII. Æqualitatem dari inter divinas Personas, ex symbolo Athanasii habetur, ubi dicitur, quod: « Tres Personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales. » Sed et de ipso Filio dicit Paulus ad Philippenses 1: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Sed, et similem esse Patri ex Scriptura divina constat, cum dicitur: *Filius imago Dei invisibilis*, ad Coloss. 1: *Et figura substantiæ Dei*, ad Heb. 1. Catholici tamen magis utebantur in explicanda consubstantialitate Filii nomine æqualitatis, quam similitudinis, eo quod similem Patri etiam Ariani fatebantur, sed æqualem nullo modo; cum tamen catholici dicerent non solum

unam esse naturam in Patre, et Filio, sed in utroque esse æque perfectam, ut S. Thomas advertit in hac quæstione XLII, art. 1 ad 11, quod est utrumque esse æqualem.

Rationem autem reddit D. Thomas ibidem hujus æqualitatis, tum quia in divinis nihil est majus aut minus: ergo est æquale; tum quia inæqualium non potest esse una, et eadem quantitas numero. In divinis autem non est quantitas partium et extensionis, sed perfectionis et virtutis: perfectio autem est divina essentia in Personis, quia ex ipsa essentia habent totum esse, et actualitatem: ergo inæqualitatem habere non possunt, si habent eandem quantitatem perfectionis, et virtutis.

XIV. Ex quibus deducitur primo æqualitatem, et similitudinem in divinis Personis solum requirere distinctionem extremorum, quæ æqualia vel similia dicuntur, non autem requirere distinctionem in ipsa quantitate, vel perfectione, ratione cujus æqualia vel similia denominantur. Æqualitas quippe, vel similitudo non est ejusdem ad seipsum tamquam extremi, quasi idem extremum possit esse simile sibi ipsi: est enim plus quam simile, scilicet idem. Sed tamen positis extremis distinctis, si ratio formalis, ratione cujus similia, vel æqualia dicuntur, sit una et eadem numero in utroque extremo, tanto similitudo, et æqualitas erit major, et dicetur similitudo eminentior, quia uniuntur maximo modo, quo possunt citra identitatem extremorum; similitudo autem petit, et fundatur in unitate, et convenientia rationis formalis, dummodo ad identitatem non perveniat: non pervenit autem ad identitatem si extrema manent distincta, quia sic non est ejusdem ad se, et in ipsa ratione formali crescit

unitas, quæ magis conducit ad similitudinem, et æqualitatem. Unde si in duobus lapidibus ponatur eadem numero quantitas, vel albedo manente distinctione extremorum, erunt summe æquales, vel similes.

XV. Sequitur secundo, hanc summam, et perfectissimam æqualitatem Personarum valde difficile explicari, si perfectiones relativæ multiplicentur, et sunt diversæ in relationibus.

Ratio est, quia perfectiones relativæ non solo numero, et materiali diversitate multiplicentur, sed formaliter, eo quod relationes ipsæ in ratione relationis quasi specificè diversæ sunt, et formaliter: non enim differunt Pater, et Filius, sicut duo Filii, vel duo patres in ratione relationis loquendo: in Deo enim non datur materialis divisio, sed quidquid differt ibi formaliter debet differre, cum omnis potentialitas, sine quo materialis divisio non datur longe exulet a Deo. Ponendo autem diversitatem formalem, et quasi specificam in relationibus, et quod habent perfectiones relativæ distinctas, vix salvari potest quin sit inæqualitas relativæ perfectionis, quia istæ perfectiones non solo numero differunt, sed modo specifico, in his autem quæ specie differunt, et formaliter semper est aliqua inæqualitas, et dissimilitudo, quia specie sunt sicut numeri, et ipsum differre plusquam numero extra æqualitatem est, et extra omnimodam similitudinem, cum una perfectio relativa, quæ est in uno, non sit in altero extremo. Nec sufficit dicere quod sunt æquales ratione fundamenti. Non inquam sufficit, quia si fundamentum est essentia, quoad suum esse absolutum, non dubitamus esse non solum æquale, sed idem in omnibus Personis; sed loquimur de perfectionibus relativis ut relativæ, quas

illa sententia ponit esse diversas, non obstante omnimoda unitate essentiae absolutæ, et in illis dicimus non posse servari omnem æqualitatem, sed aliquam inæqualitatem esse, saltem relativam. Si autem loquamur de fundamento notionali, scilicet de ipsa origine, ut quod generatio sit fundamentum relationis paternitatis, spirativa processio relationis spiratoris, etc. tunc non solvitur difficultas, sed augetur: de hoc enim fundamento notionali restat difficultas, an dicat perfectionem, vel non dicat. Si non dicit, neque perfectionem dicent relationes, quæ in eis fundantur: nec enim perfectior debet esse relatio, quam fundamentum suum. Si dicit, ita quod multiplicatur perfectio notionalis in ipsis originibus, eodem modo inæqualitatem dicent sicut perfectiones relativæ, quia non solo numero differunt, sed formaliter, sicut diversæ species.

XVI. Sequitur tertio, relationem similitudinis, et æqualitatis fundatam super ipsas Personas, realem non esse, sed rationis. Quod D. Thomas affirmat in hac quæstione XLII, art. rad IV, et in rad Annibaldum, dist. xxxi, quæstione unica, art. IV, utrobique ex duplici fundamento. Altero sumpto ex parte ipsius rationis fundandi æqualitatem, altero sumpto ex parte ipsorum extremorum, quæ æqualia dicuntur, quæ sunt relationes personales. Causa, seu ratio fundandi æqualitatem in divinis est unitas essentiae, et perfectionis: sed ejusdem ad seipsum non est relatio realis, nec unum, et idem potest esse ratio fundandi realem relationem ad se; unde licet extrema sint diversa realiter, si tamen ratio fundandi sit eadem, v. g. eadem albedo, vel quantitas in utrisque, non fundabunt realem relationem similitudinis, seu æqualitatis, licet res ipsæ seu extrema similia dicantur

propter communicationem ipsius formæ. Cujus rationem reddidimus in logica q. XVII, art. II, ex Cajetano hic q. XLII, art. I, quia in relativis ideo extrema materialia, seu subjecta referuntur realiter, quia ipsæ formæ, seu rationes fundandi realiter referuntur: si enim albedines non referantur secundum similitudinem, neque alba ipsa referentur: non referuntur autem albedines realiter, si sunt una, et eadem albedo in pluribus subjectis, non multiplicatæ. Unde neque extrema ipsa dicuntur formaliter similia, seu formaliter relata in similitudine, si rationes fundandi relative non se habent, sed identice quia sunt eadem numero forma. Et sic in Personis divinis non est realiter æqualitas, nisi ratione fundamenti, ut sumitur ex D. Thoma loco citato ad Annibaldum dicente, quod: « Quamvis æqualitas non sit relatio realis, tamen id ratione cujus attribuitur æqualitas realiter est in Deo, » quod utique est ratione fundamenti esse æqualem realiter, seu fundamentaliter, non formaliter relative, sed formaliter ex parte magnitudinis, et essentiae, quæ est ratio fundandi.

XVII. Altera ratio D. Thomæ est, quia una relatio realis non potest fundari in alia, eo quod alias sequeretur processus in infinitum, quia qualibet relatione data, posset supra illam fundari alia sive similitudinis, sive dissimilitudinis. Quam rationem ponderavimus in logica q. XVII, art. III, circa primam difficultatem, et reddidimus rationem a priori (præter hoc inconveniens multiplicandi relationes in infinitum, quæ est quasi ratio a posteriori) quia omne fundamentum debet esse perfectius eo quod fundatur, omnes autem relationes sunt æquales in modo essendi relativo; et sic una non potest esse fundamentum alterius. Cujus rationis vis in eo

consistit, quod ibi insinuat est, quia fundamentum non est causa pure materialis, et receptiva relationis, sicut materia prima respectu formæ, sed sicut specificativum vel sicut præbens esse, et realitatem ipsi fundamento, ad eum modum quo accidentia habent substantiam tamquam subjectum non pure recipiens, sicut materia prima, sed sicut subjectum sustentativum in esse ipsius accidentis, tamquam habens esse perfectius, et simpliciter in se subsistens, ita ut esse accidentis quod est esse secundum quid, perficiatur ex dependentia ab illo, tamquam ex formaliori, et perfectiori esse. Relatio autem non solum quatenus accidens est, indiget sustentari a subjecto tamquam a perfectiori esse in se susistente, sed quia minima entitatis est inter omnia entia, indiget præter subjectum in quo inhæret, et a quo sustentatur in esse, fundamento a quo tamquam a causa specificativa, et determinativa fundetur, ut realiter dicatur ad aliud, ut explicavimus citato loco logicæ, articulo secundo, quia cum relatio sit entitas tertia, et media inter duo extrema, dependet ex illis ejus specificatio, et non solum a subjecto ejus inhærentia, et existentia.

XVIII. Ex hoc autem deducitur quod licet inter ipsas relationes una sit perfectior altera in sua specie, non tamen potest una fundare alteram, quia hoc quod est relationem requirere fundamentum perfectius se, et specificativum sui oritur ex ratione communi toti generi relativorum, quia videlicet tam minimæ entitatis est, quod nec sibi sufficiat sola, nec solum subjectum illi sufficiat, sed adhuc indigeat coordinatione extremorum, et fundamento accepto ex entitate absoluta, si quidem totum genus relationum realium exigit fundamentum, quod uti-

que debet esse aliquid non relativum, cum sit extra totum genus relationis: exigitur enim a toto illo genere, non ratione hujus, vel illius specialis relationis: ergo licet una relatio sit perfectior altera in ipso genere ad, propter perfectiorem terminum vel fundamentum, tamen in hoc quod est dependere in suo esse, et specificatione non solum a subjecto, sicut reliqua accidentia, sed etiam a fundamento, omnes relationes æquales sunt, quia hoc competit illis ex ipsa ratione communi generi relativi, quia tam minimæ entitatis est, ut fundamento indigeat. Unde perfectio unius relationis in sua specie præ alia non sufficit ad præbendum fundamentum relationi, quia fundamentum perfectius esse debet in ipso modo essendi, quam modus essendi totius generis relativi. Sicut unum accidens licet sit perfectius altero in linea, et ordine accidentis, tamen non potest unum accidens esse subjectum sustentativum, seu substans alteri in ipso esse, licet possit esse medium, ut unum accidens recipiatur in alio, sicut quantitas ad recipiendum colorum, et potentia ad recipiendum habitum, vel actum. Et hoc ideo, quia subjectum sustentans seu substans debet habere perfectius esse quam esse accidentis inhærens. Similiter ergo relatio ex genere suo non est sufficiens ad fundandum aliam relationem, quia fundamentum debet esse perfectius, cum ideo illud requirat relatio, quia minimæ entitatis est ex genere suo, et ideo indiget non solum subjecto cui inhæreat, sed etiam entitate, ex qua resultet per comparisonem ad aliud extremum, et hoc non pro hac, vel illa relatione, sed pro toto genere relationum.

Objicit Scotus: Si in Deo esset inæqualitas illa, esset relatio realis: ergo etiam si est æqualitas; imo

tunc est perfectissima æqualitas, et similitudo quando est magis una quantitas, vel natura in qua fundatur: ergo ubi est perfectissima unitas in quantitate, erit perfectissima æqualitas. Quod vero sit realis relatio patet, quia extrema sunt realiter distincta, et fundamentum est reale, et convenit extremis absque opere intellectus: ergo habet omnes conditiones, ut sit relatio realis.

Confirmatur, quia secluso omni opere intellectus, Filius est realiter æqualis, et similis Patri: ergo per aliquam æqualitatem realem: sed æqualitas est relatio: ergo illa relatio est realis.

Et denique, quia æqualitas est perfectio simpliciter, et convenit Filio ex vi productionis: ergo est realis. Neque est ratio cur in aliis generibus possit fundari relatio, quantumcumque sint diminutæ entitatis, non possint autem fundari in entitate ipsa relativa. Et in divinis relationes originis non fundantur immediate super essentia: sic enim non essent distinctæ inter se, quia fundamentum esset unum, nempe essentia: ergo fundantur immediate super relationes.

Respondetur ad primum, quod si esset in Deo inæqualitas, esset in Deo distincta quantitas, seu perfectio, et consequenter realis relatio. Nunc autem æqualitas resultat ex quantitate perfectionis, quæ est omnino una; et sic non est relatio realis. Et cum dicitur quod est perfectissima æqualitas, ubi est perfectissima unitas, respondeo quod est perfectissima æqualitas, perfectione quantitatis, et adæquationis, non formalitate respectus; perfectio autem, et convenientia, seu unitas quantitatis solum est fundamentum relativæ æqualitatis, non ipsa formalis respicientia: hæc enim non est realiter in Deo, ut D. Thomas docet loco citato ad Annibaldum.

Ad secundum dicitur, quod inter conditiones relationis realis debent computari extrema realiter distincta, non solum entitative, et materialiter, sed etiam formaliter, scilicet ut fundantia relationem; et ita fundamentum debet esse reale, non solum in entitate, sed etiam in distinctione, quia realiter debet esse distinctum, sicut et ipsa extrema, quia ex eo referuntur extrema realiter, quia fundamenta ipsa referuntur ut causa, et ratio ex parte cuiuslibet extremi se tenens. Idem autem non potest esse ratio respicienti se ipsum realiter.

Ad confirmationem respondetur Filium esse realiter æqualem Patri secundum realem respicientiam, nego; secundum realem convenientiam, et communicationem adæquatam formæ, concedo. Unde sequitur quod per æqualitatem realem sint æquales, scilicet per æqualitatem fundamentalem, seu entitativam in ratione unitatis, non per formalem respicientiam æqualitatis, et illa æqualitas per quam realiter sunt æquales, relatio non est, sed omnimoda unitas in eadem perfectione, et forma.

Ad tertium dicitur, quod æqualitas est perfectio simpliciter sumpta

pro unitate, et convenientia reali perfectionis, ut virtutis, quæ est quantitas virtualis in Deo, non pro respicientia reali: sic enim potius aliquid imperfectionis exigit, scilicet aliquam realem divisionem in ipsa quantitate fundante talem respectum, ut bene notat Cajetanus in hac quæstione XLII, art. I, in calce commentarii. Cur autem in aliis generibus non repugnet fundari relationes, et repugnet in ipsis relationibus fundari alias, jam supra diximus, rationemque adduximus ex D. Thoma; de relationibus originis dicimus, non dari relationes originis fundatas super relationes personales: nec enim origines habent alias relationes quam ipsarum Personarum, imo origines sunt ipsæ relationes personales, ut generatio activa est paternitas, solumque differunt, quia significantur origines, ut actio, et via producendi, relationes vero ut ratio, in facto esse respicienti: potiusque relationes ipsæ personales fundantur in originibus, seu actionibus producendi, aut procedendi quantum ad exercitium respicienti; et sic nunquam datur relatio realis fundata super aliam relationem.